Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quia speculatores eius summi uidelicet sacerdo
tes et scribe et pharisei qui in specula positi erant
ut mala superuenientia populo nuntiarent ceci omnes
nesciunt suos rege subiectos. Vniuersi canes mu
ti non ualentes latrare. non latrabant. non cla
mabant. non gregibus signa dabant ut latrones
oues fugerent ut luporum dentes euaderent
ut malignorum spirituum astutiam cauerent.
Videntes uana dormientes et amantes somnia.
Cum enim populum sollicitum reddere debuis
sent. quia nescimus diem neque horam dormien
tes somnia et uisionem se uidisse dicebant. et
aliquas uanitates narrantes populum credulum
decipiebant. Et canes impudentissimi nescierunt
saturitatem. Sicut enim importuni canes super
cadauera incumbentes comedunt et uomunt
et satiari nequeunt. ita omnis istorum inten
tio in holocaustis agnorum hircorum et tau
rorum erat. Vnde et subditur. Ipsi pastores igno
rauerunt intelligentiam. Cum enim ad anime
purgationem omnia sacrificia sint instituta.
Ipsi solam uentris saturitatem in eis expectabant
neque quod ab eis significabatur intelligentes
unusquisque partem sibi auare diripiens seque
suosque ingurgitabant. Quod et filii Hely facien
tes domino displicuisse leguntur. Sequitur. Vnus
quisque ad auaritiam suam omni religione post
posita declinauit. hoc autem a summo sacerdote
usque ad nouissimum inferioris gradus factum est.
Omnes enim dicebant non uoce sed operatione. Ve
nite sumamus uinum et impleamur ebrietate.
Et erit sicut hodie sic et cras et multo amplius.
Securi namque uino et epulis cotidie implebantur
qui cotidie nouas hostias expectabant.

LVII. Iustus perit et non est qui recogitet in corde
suo et uiri misericordie colliguntur quia non
est qui intelligat. A facie enim malitie collectus
est iustus. Veniat pax requiescat in cubili suo
qui ambulat in directione sua. Ideo inquit
perit iustus ideo morti dampnatus est christus quia
pastores ceci et ignorantes intelligentiam suam
auaritiam sectantes dicebant. Iam totus mun
dus post eum uadit. Si dimittimus eum sic omnes
credent in eum. Et uenient romani et tollent nostrum
locum et gentem. Et non est qui recogitet in cor
de suo ea que ad pietatem et misericordiam per
tinent. Quid enim nisi malum ebrii et auari cogi
tare poterant. Et uiri misericordie colliguntur.
Quia post caput etiam membra mactantur et ubi
est corpus ibi aquile congregantur. Sicut ipse

dominus dixerat. Si me persecuti fuerint et uos
persequentur. hoc autem ideo fit quia non est qui
legem et prophetas intelligat. Si enim intellexissent
numquam dominum glorie crucifixissent. A facie enim
malitie collectus est iustus id est propter solam in
uidiam et malitiam sacerdotum occisus est
christus. cum nullam causam mortis in eo inuenire
potuissent. Veniat igitur pax quia effusus est
sanguis quo omnis pacatus est mundus quo
uictus est inimicus. et quo in unam concordiam
et pacem omnes gentes conuenerunt. Amoto sed et
ut requiescat in cubili suo ille qui ambulat in
directione sua. Non est enim qui eum tireat non
est qui sollicitare audeat. Omnes enim dicen
tem dominum audistis. Pacem meam do uobis
pacem relinquo uobis. Quis hanc pacem contur
bare audeat. hanc autem pacem illi non habent
qui directo itinere non incedunt. Potest autem
et sic intelligi ut quia ipse iustus et simul cum
eo uiri misericordie collecti sunt iam nichil restat
nisi ut data pace unusquisque in cubili suo requi
escat que deus ante secula eis parauit.

Vos autem accedite huc filii augu
ratricis semen adulteri et forni
carie. super quem dilatastis os et
eiecistis linguam. Vos inquit
filii auguratricis synagoge que
magis a pharaone et ab ydolis quam a lege et prophetis
semper sibi responsa quesiuit. Accedite huc au
dite quod uobis dicturus sum. Semen adulteri
populi. de quo dicitur fornicatus est israel post deos gen
tium. Et fornicarie de qua scriptum est. Quod
omni transeunti crura sua diuaricauit. Dicite
michi super quem dilatastis os et eiecistis lin
guam. Super quem clamastis crucifige cruci
fige. Nescitis non cognoscitis dominum uite est
quem occidistis.

Numquid non uos filii scelesti semen mendax.
Qui consolamini in diis subter omne lig
num frondosum. Immolantes paruulos in torrenti
bus subter imminentes petras. Numquid non
uos inquit ista fecistis. filii scelesti filii nequam
qui domino uestro et patri nostro peccastis. semen mendax
qui dixistis promisistis quecumque precepit nobis do
minus faciemus. Qui uino et uero deo derelicto
in multis diis plenis falsitate consolamini. sibi
omne lignum frondosum. Vbi secundum morem gen
tium demoniis immolant. Reducit eis propheta
priora peccata ad memoriam. ut impleat illud
quod scriptum est. In memoriam redeat iniquitas